

R.  
130.

*L. Hölzer.*  
*Protens febrilis.*  
*Witten 1722.*

# PROTEUS

FEBRILIS

NOVISSIMA  
VIRMONDTIANA

AFFLIGENS.



CIBINII TRANSILVANIAE.

---

Excudit Johannes Barth A. D. MDCC XXII.

UMF



SAMUEL KOLESERIUS AKERES EER  
LECTORI  
SALUTEM  
D.



Itam & res in luce Europæ  
cum emolumentis Augustæ Domus Cæsareo  
Regiæ præclarè gestas Illustrissimi & Excel-  
lentissimi dùm vixit Domini Domini DAMIA-  
NI HUGONIS Sacri Romani Imperii Comitis à VIRMONDT  
Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis à Sanctioribus  
Bellique Consiliis, Peditatus Supremi Magistri, ejusdem-  
que unius Legionis Tribuni, in Principatu Transilvaniæ &  
Valachia Austriaco cis Alutana Supremi Armorum Præfecti,  
hujus etiam Supremi Directoris, mansuris chartis memo-  
riæ posterorum commendarunt alii. Morbum, qui fatali exitu,  
pari virtute gerundis, nervos succidit, justissimus lugen-  
tis Viduæ dolor, quo se leniret, descriptum superesse vo-  
luit. Succinctè & calamo occupatissimo his illicitam pagellis,  
nec ad regulas Medico-Logicas comptè dispositam Morbi  
A 2 perti-


pertinacis & variè se versantis faciem , hic intueberis. Eam tamen integritatem ac fidem in cunctis experieris, quam vivens haud frustra locari credidit , & locatam ad finem usque constanter observavit. Mercenariam quippè operam non fert, ingenuus publici amor, nec patienti compatiens adfectus aliud quàm quo profit avidè intendit. Neque gloriolæ vel lucelli cupidine arguitur , qui præter ordinem functionis suæ , & Cæsari Ministrum & Patriæ Antistitem, eo quo consuevit zelo , ut conservaret, temporis impendit plurimum , nec ulli pepercit labori.

Morbos, prævertendo vel domando, vitam protrahere posse, divinæ beneficentiæ est. At rerum ultimam lineam , Mortem , inanibus pollicitationibus vel quadripedantibus arcanorum Mercaturis eludere velle , turpe nefas.

Mirare potius Nobilem hominis partem, sanam & sibi præsentem, tam diù in ruinis domicilii sui detineri potuisse , quàm commissâ sibi coronato sine exegerit.

Proindè, qui hæc legis, Manibus Defuncti benè ; Cæsari fidos Ministros ; Rei Transilvanæ , proficuos Præsides, precare. Cumque mortem in sinu gestes, exemplo monitus, sic vivere disce, ut quotidie impavido dicere liceat, Vixi. Vale. Dabam Cibinii Transilvanorum Nonis Maji, Anno M DCC XXII.

HISTO-



# HISTORIA NOVISSIMORUM VIRMONDTIA- NORUM.



**V**ir toga sagaque notissi-  
mus , & vel hoc solo , quod à Cæsare pa-  
lam laudari meruit Inclytus , Staturæ me-  
diocris , Constitutionis cholericò biliosæ ,  
Ætatis annum agens quinquagesimum sextum , confecta  
induciarum Pacis utrinque ratihabendarum causa , magna  
ad Ottomanorum Imperatorem legatione , Viennam redux,  
adversa valetudine tentatur , è febris anomalis , cathar-  
ris , podagricis , sed leviuscule se insinuantibus accessibus ,  
mox intermittendo , mox vicissim recurrendo , quatuor  
propemodùm Mensibus , discessum ad Stationem Præfe-  
cturæ Armorum Transilvanicæ ab Augusto Cæsare sibi  
designatæ remorantibus , decumbit. Viribus necquicquam  
integris moræ diuturnioris impatiens , itineri se accingit ,  
in transitu Thermis Budensibus aliquot vicibus immer-  
git , pedibusque à balneo tumidis , pallidæ faciei indicio ,  
debili adhuc valetudine , Claudiopolim Transilvaniæ Die  
vigesima quarta Junii Anni proximè elapsi adpellit. Ubi  
curatis Cæsaris nomine publicis Militiæ , & Principatus

negotiis, paucorum dierum mora interjecta Dysuria cum tenefmo & stillicidio Urinæ corripitur, non absque febrili alteratione; li'eratur mox præfenti ope, tam internorum quàm externorum balsamico, oleoso, falino, alcalinorum remediorum; eje'cta puris glutinosi meatum urinarium præcludentis, calculumque mentientis quantitate non modica. Sedato exquisiti Sensûs affectu, manente tamen frequenti urinæ, quam nec continere poterat, missione, Cibinium Die 2. Augusti pervenit, unde, quieti dato octiduo, cum familia itineri unius diei Die 10. Augusti se committit, fluviumque trajecturus circa tempus prandii febrî vehementi cum horrore & horrorem excipiente sex horarum calore corripitur; in loco ubi prandium apparatus subsistit, & breve, quod supererat iter, lassis viribus persequitur; tertio verò, simili, sed graviore & diutius durante febrili accessu impetitus, vix expectata febris declinatione reditum Cibinium admaturare cogitur. Ubi febris continuat, remittendo quidem, typum tertianæ mentita, licet paroxisantes alterationes certas horas nec tenerent, nec ubi remitterent ab omni febrî æger liber esset, usque in decimum quintum primi accessûs diem, Die videlicet 23. Augusti, quo manus ægroto adnota est, propinatis constitutioni ægri & morbi conditioni appropriatis, Febris, quæ hætenûs uti crevit; ita ægrum insomniis, æstu, siti, inappetentia, alvo adstricta extenuaverat; Sex horarum intermissione integra frænari visa, & sexta a morbo septimana domita est, dejectoque appetitu in consvetorum alimentorum verso, vires mox in tantum resumpsit æger, ut lecto relicto negotiis impensè curandis dies totos infumeret; anxius etiam ob oppressam sanitatem non tantum domesticorum, quorum nonnulli subito mortui sunt, plures consequenter gravi-



ter ægrotarunt ; cum primis Carissimæ Conthoralis Comitissæ è quartana exquisita , & le&issimæ filiæ Herulæ gravi tertiana , post quartana , decumbentium. Laboribus his & curis delassatos spiritus prænature fatigans , plus æquo occupans die 10. Octobris febris cum horripilatione & spas, modica concussione , hanc insequente effuso calore redit , continuatque tertio quovis die servatis accessionis horis , in sudorem diffusa , quatuor paroxysmorum ; adhibitis autem remediis sequentes accessionis horæ mutantur , & symptomata mitigantur quidem ; sed septimo paroxismo tenui cum alteratione decurrente , altero vacuo videlicet die novus insultus invadit , & dramata tertianæ & quartanæ continuata aliquot paroxysmorum serie lusit , donec potentibus iterum remediis , elusis utriusque viribus , tertiana primum emaneret , & quartana adeo se subduceret , ut cessantibus alterationibus pacatoque tantillum œconomix animalis itatu solummodo appetitus vitiosi æmulus , frequenter sorda , familiarissima & antehac ægroti adfectio , ingratus plerumque jejuno stomacho oris sapor & sitis , negotium facerent ac ægri exquisitissima sensibilitas laboriosissimam redderet curam. Onusto quippè ventriculo ex cibo sapide sumpto mox omnia febrilia erant. Sitis copiosè licet haustis penes ordinarios potus , nec non vino veteri Rhenano aliis quoque restringentibus , bibendi tamen desiderium rarè frangi potuit ; nitrata , infusa Tee cum aqua florum aurantiorum forbillata affatim , emulsiones amigdalatæ haustæ cum impatientia. Alia quoque pharmaca sangvinem invigorantia collapsa fibrarum stamina erigentia , obstructa referantia & resolventia ; vires denique proprio ægri experimento refo-cillantia , ea diligentia & attentione in horas adhibita ; ut nullum tempus , reluctante licet medente & de nimia

ægri



ægrî in pharınacis expetendis sedulitate , malè ominante , absque linea medica ducta , vacuum maneret. Urinæ sub- iude cum muco & pure conjuncta frequens excretio pe- nes insolitas & anomali accessus febricitationes causam la- tentem in parte aliqua corporis & levissimo quovis irritamen- to quasi ex insidiis erumpentem subesse indicabat & hariolari uti æquum erat , ita per hæmorrhoidalium venarum aperti- onem segnitiei alvi , ventilationi stagnantis per supinum decubitum sanguinis , subvenire tentatum est ; simul ut ex- ploraretur : quænam sit consistentia sanguinis. Apertis itaque per hirudines vasis sedalibus , sanguis fusco colore a- quam tingens , superficiem autem gelatinositate quasi stratis cineribus tegens , deprehensus est. Hoc ergo indicio cau- læ latentis existentiâ confirmatâ , decoctis eluentibus , ma- joris copię , & virtutis aperitivo-resolventis intuitu , uti accommodatissimis ; ita & securissimis aggredi morbum oportuit. Querulabatur etiam de dolore ventriculi & fla- tibus ad costas usque medias stringentibus. Apparuit non- nullus tumor sub osse sterni ; verum , affectum hunc radi- catâ opinione Podagram stomachalem esse censebat æger ; confirmabat nonnullorum medicorum plûs sæpè pro con- suetudine , quàm veritatis evidentia loquentium definitio. Quærebantur medicamina podagram è stomacho ad extre- mas corporis juncturas & articulos , topica Podagræ la- tibula expellentia , tanto quidem sedulius , quo fulguris instar nonnunquam in pollice pedis sinistri raro ultra ho- rulæ sensum arthritidem insidiari animadverteret. Adhibe- bantur Emplastra crassioris consistentiæ , quæ resolvendo , temperando , discutiendo , materiam ignotam , & in igno- to loco stabulantem corrigerent , dolorem lenirent , & gra- vioribus malis fomites subducerent. Una cum Essentiis oleo mixtis , altius Emplastro penetrantibus , nonnullo

levamine dolorisque mitigatione diù continuata. Nec injectiones intestina ad quæ substantia vel calore pertingerent, blandè humectantes, reficientes, & oleo amygdalino mixtæ, subducentes, certis occasionibus neglectæ & summa cum euphoria operari deprehensæ.

Dysuria rursus & frequens urinæ excretio ægrum identidem fatigat. Urina surfuracèo albidì sedimenti, sæculenta, cocta ad ignem glutinis instar viscosa, cæteroquin pingvis, grave olens, & adeo penetrans ut aliquot vitra crystallina vel fregerit vel charaxarit, coloris mox obscure rubri, mox bilioso flavi, rarissime citrino limpidi, quantitate modica, continet, usque dum variæ morbi anomalix in quartanam simplicem terminarentur. Nullus interea in regionibus hepatis, lienis & renum doloris sensus. Nullus capitis dolor, Parcus e naribus mucus. Catharrus semel. Sed apoplexiæ prodromi bis præventi. Brachii dextri langvor & obtusus sensus restituti. Caro gingivalis flaccida, scorbuticæ indolis.

In quartanam simplicem recenter commigrasse morbum, gratulabatur sibi æger, animantibus è longinquo qui pridem sanitati præerant, induciarum nonnulla spe allectis. Die & hora quartæ accessionis febrilis, quæ fuit 24. Novembris æger benè sibi constans, flatibus exonerare se opinatum, copiosis sæcibus lectum madefecisse nuntiat, sed invalescente febre, involuntariæ dejectiones urgent, excretis ordinariis sæcibus, saburra nigra purulenta, saniosa, hinc inde sangvineis sed fibrosis punctis interspersa, succedit, adeo frequenter, ut intra 24. horas, 32. dejectiones numerarentur; vires interim labantur, facies concidit, fitis urget, deliria adsunt, pulsus in alterum diem à febrili nîl immutatur, accedente tremore manus dextræ & auditûs difficultate, conclamatum esse, credidissès.

confirmarunt, cujus egestio, sive continuaret cum febre, sive hac remittente fomite relicto recrudesceret, periculi plenam præagere aleam. Conclamatus ægri status præsens consilium, sed præsentissimum remedium requirebat, neque anxium desiderium frustravit eventus, data enim in horas quicquid ad amovendas mali causas, roborandas, spiritua-scentiâ evehendas sanguinis, humorum & spirituum vires, è penu medico rationabiliter & cum omni attentione inveniri potuit, cum primis ubi decantata sanis videlicet panacæ ægrum opis indigum prorsus destituerent, imò contrarios ederent effectus. Mansit in opportunitate quæ arcanorum vices, etiam per obvia supplet, auxilium. Sedato impetu incendium paulatim restinctum est, febrique remittente dejectiones modicè cessarunt, pacatisque spiritibus æger refocillatus revixit, & spe citius vires resumit; maxime postquam elapso octiduo levis tussiculæ irritamento, grandem materiæ purulentæ, glutinosæ, per vomitum ejecisset copiam. Sic binis his, sed valde dubii ominis excretionibus, malis se defunctum rebatur æger, proximumque ad recuperandam integram sanitatem latentis hæcenus saburræ evacuatione, sperabat se assecutum esse remedium. Insistit idcirco assiduis laboribus regiminis, Concilium & formam civilem regundæ neo acquisitæ Valachiæ e lecto ad mentem Cæsaris restituit die 20. Decembris.

Decocti porro usum mordicè renuit & cum bibendi desiderio teneretur, vino, sæpe ultra quàm par erat & lacte amygdalato se refocillare maluit. Dum ita prioris temporis & valentis ætatis memor, in cibis & potu opinioni suæ plusculum indulget, rursus quartana corripitur, cujus uno vel altero paroxysmo exantlato, febricitationis jam pertæsus, præsentaneum antidotum postulat. Exhibetur pulvis vegetabili mineralis, cujus, uniculæ dosi ritè propinatæ obsecundat

febris, ceu mandenti paritura; nova accessio emanet, evadit patiens. Nihilominus explorare rursus sanguinis consistentiam, cum primis secuto post apertionem vasorum hæmorrhoidalium, notabili levamine, etiam venam brachii dextri tundi, & an post tot sanguinis mixturæ & fluiditatis ac fibrositatis restituendæ causa, institutos remediorum conatus mutatio aliqua in melius, oculari experimento scrutari, visum est. Apertionem die 10. Januarii 1722. factam, optime tulit æger. Extractus paucus sanguinis in partes secessit, potior autem pars ex pure oleaginoso, glutinoso sero constare ingrato omine deprehensa. Tentatum tamen, ut in partes sibi similes quasi præcipitando secedentis sanguinis fluxibilis fibrositas & mixtura restitui quiret. Talibusque remediis sublevatus æger in tantum restitutus est, ut lecto relicto, & quæ sanorum sunt ageret; & intermissâ medicatione soli Diæticæ committeretur. Quatuor septimanarum morbi induciis recreatus, quasi jam in salvo esset, negotiis se distringit; Proceribus Transilvanis pro Comitibus ad 20. Febr. An. 1722. indictis Cibinû præsentibus, qua Commissarius Regius perorat, eosdem vice plus una hospitaliter excipit, Tabulæ delictis illectus, gustui liberalius indulget, at impares ad digerendum, quæ avidè ingesserat, ventriculi vires, mox experitur & partim ab insolita somnolentia, partim ab urinæ missitatione urgetur. Et cum ex debilitate stomachi de obtusiori sensu & quasi formicatione vertebrarum dorsalium quereretur, foco proxime assidens, fermocinatione cum adstantibus se divertit & acceptis tabulis Geographicis certis locorum distantis metierdis intentus, ex improvise, animo linquitur levique epilepsia die 11. Martii hora vespertina septima tactus, è sella procidit, moribundo similis in lectum sublatus, calefactis rigentibus membris ad se quidem

dem citò redit, sed lassus, & quid contigisset ignarus, sola obauditione sublata consolatus. § Discussa hac nervosè generis & spirituum ataxiâ, toto mense Martio ab omni notabili alteratione liber mansit, leniter quidem subinde tussivit, nîl verò præter tenue phlegma ejecit; sæpiùs sed moderate bibit, & licet quotidie parcè comederet & medicatis se reficeret, de virium tamen ad gressus faciendos, vel pedibus insistendum majori quàm hæctenus debilitate, questus est.

Præactum temporis interstitium emensus, pauco apparenter culpabili diætæ errore, die 5. Aprilis hora noctis tertia, cum febrili alteratione dormiens evigilat, horripilationem calidorum integumentis amolitur, toto in sequente die, quasi in bivio morbi & sanitatis constitutus, an benè vel malè valeat se nescire, dixit; diem 6. Aprilis præcedentem noctem plus vigilando, quàm somnando per intervalla incombinata locutus, transegit, obtusis sensibus, dextraque manu tremulâ, febrilem pulsum adesse compertum est; compos tamen sui, recensendis quibusdam gestis dùm se cum intentione spirituum fatigat, balbutire incipit, & in ipso elocutionis nisu, refractis oculis, epilepsiâ corripitur hora octava matutina, quæ cum partium corporis superiorum & non totius corporis, leviorisque musculorum fuerit tensionis, post horæ quadrantem remisit, postea sudoribus diffluxit, quid verò contigerit abruptâ voce prout antea, nec nunc meminit. Post meridiem ejusdem diei, convulsio iterato imminens, cum initio syncopes subitò præventa est.

Decubitus fuit gravis & inquietus, dolores a diaphragmate versus costas lateris sinistri, subinde & dextri punctorii, qui tandem tertio die conquieverunt, appetitus prorsus prostratus, pulsus non quidem celer, sed nec æqualis, longus

gus, undulans varia sub phasi, usque in septimum à novissima hac accessione diem mansit: nocte hunc sequentē totā tussivit, paucum adhuc & spumofum phlegma ejecit, sudoribus in capite brachiis & manu sine apparente causa mox erumpentibus, mox iterum ad detersiones remittentibus. Invalescente tussē facies tota mutatur, tussim auget materiæ purulentæ spissæ, instar medullæ ossium fauces obruentis laboriosa ejectio, cum ronchiis modo elevatis, modò subsidentibus; tarditatem alvi, laxant nigræ putridæ & fætales malè mixtæ dejectiones; ulnæ & ambæ manus alternatim tumidæ, venis turgent. Sudoribus caput & thorax per vices madent. Præsenti animo, ut solebat, de statu morbi sciscitanti, ingenuè, gravitatem morbi, vires collapsas, extrema protendere insinuatum est. Convalescere idcirco incipit. Instrumentum sanctionis pragmaticæ de successione a Statibus Transilvaniæ confectum sibi tradi jubet. Comitia solvit. Post, Cæsari Augusto fortunarum suarum Auctori; Principi Patrono, ultimum scribit: Regio Gubernio dicit, Vale; insistentibus prioribus malis lectum mutat, quem repetens membris gelidis imbre sudorum, instantis mortis præcursoribus perfunditur; roboratis nihilominus spirituum flammulis, quibus se nondum destitui rebatur, cunctis quæ ad publicum Domini servitium, familiæ utile, spectabant, dispositis, ritu Ecclesiæ anima Deo commendata, ad ultimum sibi præsens, lingvâ balbutiente locutus, valida cordis palpitatione prægressâ, cum sudoribus è vita placidè effluxit, hora dimidia noctis ad primam, die ab ultimo hoc paroxyfmo 16. Aprilis verò 21. A. D. M DCC XXII.

# Eorum quæ in sectione & exen-

teratione corporis defuncti, tertia ab excessu hora, observata sunt, recensio.

1. Pingvedo cutanea in abdomine nulla.
2. Omentum luridum & tenuè instar telæ aranearum exinanitum.
3. Sangvis diffluens nullius consistentiæ.
4. Pancreas Scirrhosum, durum & ponderosum, pendens quatuor Uncias, & quinque Drachmas.
5. Mesenterium in statu naturali.
6. Ventriculus rugosus, & sulcis flaccidis adstrictus.
7. Pylorus constrictus.
8. Intestina tenuia, mucosum partim tenaci, partim spumoso purulento infarcta.
9. In iliaco materia viridescens porracea inventa.
10. Colon post valvulam, materia copiosa purulenta teterima refertum, longitudine trium spithamarum, prout jacet sub ventriculo & per lineam rectam ad intestinum rectum prolabitur gangrænosum & sphacelosum. Pars inferior, quæ in rectum terminatur a sphacelo libera, mucosa tamen & saniosa. Membrana coli flaccida, tenuis, atro colore a cæteris intestinorum partibus distincta.
11. Vasa hæmorrhoidalium depleta, nec ullis tuberculis turgida.
12. Orificium vesicæ glanduloso scirrhosum; cum primis versus glandulas prostates.
13. Renes sani & æquales, flaccidi & modica pingvedine obducti.



14. Ureteres liberi & patuli.
15. Hepar in parte concava durum ad scirrhum inclinans, lividum ordinariæ molis.
16. In folliculo fellis, exilis bilis quantitas, eaque mucosa & viscosa.
17. Occupabat cavitatem folliculi, lapis durus, calculus videlicet, felleus atro viridescens, figuræ ovalis, columbinum ovum æquantis.
18. Lien in naturali statu, parte convexa levi cicatrice notatus, fors ob vulnus, quod in hac parte ante plures annos in conflictu acceperat.
18. Pulmonum lobus dexter pleuræ fortiter adhærens, in basi putridus & laciniosus: sinister lividus & similiter corruptus.
20. In dextra parte lobî dextrî, globulî atro-viridescens coloris, peregrinæ indolis; nec non foramina in basi lobî dextrî, per quæ patuit transitus purulentæ & saniosæ materiæ in tracheam, quam copiosissime & in statu morbî, & quatuor mortem prægressis diebus eiecit, inventa sunt.
21. In cavitate dextra thoracis supra diaphragma materiæ purulenta copiosa circiter Unciarum 8. In superiori autem versus tracheam sanies glutinosa flava a copiosis excretis residua.
22. Tres costæ mediæ, quibus lobus dexter adhæsit cariosæ & gangrænosæ.
23. Sinistra pars thoracis continebat liquorem limpidum, quantitate mediæ mensuræ, cui innatavit sinister pulmonis lobus.
24. Dexter lobus pulmonis pendebat libram unam, Uncias duas; sinister vero libram unam, & semis.

25. In pericardio cordis nulla aqua , cor magnum.
26. In sinistro cordis ventriculo inventus est polypus cum tribus pedibus , duobus brevioribus uno longiori & cauda longitudine unius spitamæ. Caput figuræ rotundæ , substantiæ glandulosæ & duræ ; articuli pollicis extremi, magnitudinis. Cujus quantitas supra modum cavitatem ventriculi dilatavit & extendebatur ad arteriam aortam , pendebatque Unciam unam & Drachmam unam.
27. In ventriculo cordis dextro alius polypus , tenuis , cum quatuor caudis , respectu prioris exilis neque diu generari , & solidescere incipiens , pendens Drachmas tres.
28. In arteria pulmonali itidem novus polypus durior & nervosus , longitudine unius spithamæ , radix polypi adhæsit ventriculo cordis inferiori , & cum suis frustis , pendebat quinque Drachmas.
29. In capite , cerebrum plenum , ventriculi cerebri mundi , absque omni pituita , vel lympha aut sanguine extravasatis. Sed
30. Vasa cerebri turgida & distenta.
31. Glandula pinealis insignis magnitudinis.
32. Pedes & brachia Sceleti instar exsucca & exinanita , quarum partium apparens aridura post primam Epilepsiam cœpit , & post secundam notabiliter pro-  
vecta est.

# IN PROTEUM FEBRILEM SCHOLION.

**C**orporis humani structuram, quam Divinum Numen inimitabili artificio contexit, membraturarum coadunationes; solidorum stamina; fluidorum permeabilitates, colaturas & cribrationes; quas lege motus naturæ dirigi, oscillari vel stare voluit; ex motibus vel liberis, vel elisis, vel sufflaminatis consecutas hominis actiones, passiones, metiri; structuram vel sustentantes, vel labantem succollantes, oppressam erigentes, collapsam ac stratum inaniter compingere molientes causas, obices & suppetias qui ignorat, nîl quod *ἡ ἀσθένεια* est, in sanitate conservanda vel morbo averruncando, sibi concessum speret, parumque proficiet & solius desidiosæ patientiæ auxilio tutabitur, vel impossibilia frustra sperabit, aut artificem neglecti artificii rem inani ac damnosa quiritatione, arguet.

Mira, prodigio proxima, & insuperabilia, sæpe ignorantia nostra & facit & multiplicat; miraculorum solus Deus & author est, & quia cum primis veritatum seminibus menti nostræ in prima origine insitis, combinari noluit, solius cum respectu submisso admirationis, amoris Numinis implicitæ curam potius quàm limam, mavult; quæ autem ad vitam bene & commode agendam faciunt, studium & operas exercendas esse postulat ratio, probat utilitas.

Superstitio, metus & utilitas Gentilium DEos Deasque fecit; & omnibus casibus & eventibus ut sufficerent, numerum auxit.

Prouti Salutem Deam, sicinter Morbos, Morbum & communissimum & strage tertiæ partis hominum insignem, ignorans credulitas Febrim, Deam appellavit, Statuas, delubra extruxit, vota fecit, ac immitem, implacabilem, indomabilemque demulcere, placare ac domo exesse, molita est.

Inter rudera Romanæ vetustatis, Dacica Inscriptio Ostrohenfis in Hatzegiensi Districtu, non adulatione vetulæ, ut vult Analectorum autor, sed religioso cultu, cum media deficerent, Votum, Febræ Deæ factum ostendit; sic illa:

FEBRI DIVÆ FEBRI SANCTÆ. FEBRI  
MAGNÆ CAMILLA AMATA PRO FILIO MA-  
LE AFFECTO. P.

Si febris Dea est, graviterque affligit, tanto affliget gravius, quo Proteo connubio jungitur arctius.

De Proteo febrili, qui tot phænomenis stipatus, novissima VIRMONDIANA affligit, paucis dicam. In compendium omnia contraham, ubi & morbi & Symptomatum principium, originem & causam digito monstravero, curationemq; leviter tetigero, cum id certò sciam: in praxi Medica unicuique cordato & suæ artis perito obvenire, quod nec dici, nec scribi possit.

Tardum quidem, si non frivolum, in rebus agendis, cur & quare, quæ jam facta sunt, postliminio disputando, infecta vel correcta fieri velle; sed cum Causæ rerum immediatæ, nos ut plurimum lateant, principia ex eventibus subindè innotescant, & experimenta rationi, sociali nexu juncta, certitudinem scientiarum ac quotidianæ rerum cognitionis augeant, & evehant; merito non in Physicis tantum, sed & Medicis, quæ Physices pars individua sunt, de comparando cer-

to ad vitam prorogandam, robur sanitatis conservandum, & morbis medendum, oportet esse sollicitos.

Hujus sollicitudinis salutarem assequuntur successum, qui, sanum cum mortuo comparant, & mortuorum phænomena in usus sanorum scite convertere & applicare norunt. Piscator ictus sapit. Medicus casibus combinatis instructus; experimentis & judicio locuples, minus allidit, quam soli cerebroso systemati implexus.

Cùm Corpus humanum nihil aliud sit, quàm machina quædam ex fluidis & fluida continentibus, firmantibus, regentibus, pluribus, pluriumque generum staminibus, fulcimentis, & involucris, tam exquisita harmonia sibi mutuo nexis, ut ex ruptura unius vel alterius partis solidæ, fluidique motu, quiete, vel tarditate plus, vel minus incommodi in homine, cujus structuræ inexplicabili harmoniæ nexu juncta & præposita est, mens, patiando & agendo sentiat.

Non tantam tamen esse difficultatem in natura solidorum vel eorundem vitio natorum transituum & permeationum à fluidis impedimento intelligendis, quam in indole, consistentia & motu fluidorum intra se, uti sunt fluida, determinandis. Cæteris enim paribus solida & fluida in motu & quiete sequuntur leges motus naturæ ab origine ipsis contemperatas & præscriptas. Novarum Varietatum & mutationum causæ petendæ erunt à varia fluidorum consistentia, quæ determinationes fluidorum analogas, ut plurimum in solidis mutant, earundem nihilominus legum naturæ sequelâ.

Sed hoc opus, hic labor, fluidorum naturam, internam texturam, figuras, cohæsiones & partium nexus vel separationes tam intra se, quam cum sibi similibus vel dissimilibus, uti sunt solida, permeationes, transitus, & obsta-

cula & intelligibili modo explicata in apricum ponere.

Infinitam varietatem partium in fluidis esse, encheireses chymicæ ostendunt, ac inde translatis nomenclationibus, sulphurum, oleorum, aquarum, phlegmatis, terrarum, salium alcalinorum, acidorum, spirituum, medici in fluidorum corporis humani explicatione vel potius hypothesibus, utuntur. Ubi hæc cunctim & sigillatim æquali Proportionem in solidis continentur, natura fluidorum vocabitur sana, naturalis, & legitima. Solidorum structuram petunt ex Mechanica; Motum & statum dispositionibus utrinque convenientem ex Statica, hydraulica & anemonica.

Bellæ quidem ideæ & ad solvendum quodvis ænigma morborum plausibiles hypotheses.

Sed cum nec omnia ænigmata solvi, nec omnes nodi enodari possunt, sola ænigmatum vel nodorum ideali contemplatione, cuneis & cultris opus erit. Etsi verum dicere fas sit, quam primum a sensibus recedimus tam obscura cuncta erunt & fortuita, quàm in tenebris palpantibus obveniunt quæsitæ vel inventa.

Ingentibus capitellis sæpè tegitur exilis casula.

Magno molimine multique laboris & temporis impendio aguntur prænitendæ nugæ.

Esurit, egestate premitur, anxius fluctuat se juvare nescius opulentissimæ Domûs Possessor.

Divide ergo & vinces, morbos separa; numeros in immensum multiplica; multiplicatorum recensio ætates impende, curationi acies Logicas instrue, cuniculos, balistas lusco oculo dirige vel ad directionem intentus obstacula negligere, quid lucraberis? superaberis.

Hæc cuncta si in plena luce posita essent, & si vel Mathematica diductione unicuique problemati Medico subjunctum videres Q. E. D. nî curam corporis per mentem,

tem, vicissim mentis per corpus, directè tetigeris, suffenus cris.

Morbosos periodicos insultus qui in historica relatione tantum ægro & medenti negotium facesserunt, Febriles appellant Medici paroxysmos.

Quid Febris sit, æque ignotum ac nomenclationis ratio. Usu tamen invaluit ubi horripilatio, pulsus concitatus & velox, calor, in mensura temporis & gradus varius, occurrit, semper & ubique hominem quid febrilis pati, appellare.

Sed nulla quæ hominem affligunt mala, majori causarum, phænomenorum circumstantiarum & eventuum varietate concursuque stipantur, quàm universalissimus hic generis humani, omniumque ætatum ventilator, à quibus uti diversos titulos accipit, ita diversas propemodum curandi rationes sæpè pertinacissimè eludit.

In tanta quæ & systematicissimos premit intimæ morborum cognitionis obscuritate, propius ad lucem accedere videntur, qui materiam peregrinam materiæ corporis nostri permisceri, indeque luctam vel citius vel tardius vel neque domabilem oriri, universali causarum analogiâ statuunt:

Materia autem illa peregrina si modò insveta materiæ & ætheri nostris sit, cujus nam figuræ consistentiæ alcalinæne an acidæ vel quomodocunque mixtæ, licet nunquam determinabitur; sufficiet tamen ad febrilia ve phænomena illustranda si *pondere & motûs determinatione* vires exerere demonstratur.

Systolen & diastolen cordis, oscillationis, æquilibrii & mensuræ motus sanguinis, fontem esse, res ut nota, est: ita conjecturare haud difficile, quo peregantur modo arte



riarum pulsationes , quas motui cordis analogas esse hydraulicæ leges evidentè in praxi evincunt.

Ambæ hæ considerationes si in causæ & symptomatum febrilium explicatione attendantur , adminiculi loco erunt ad notiones mali evidentius formandas, curamque rationabilius per combinatas experimentorum classes promovendam , ac dirigendam , liberandumque systematicum animum à tot fermentis, succorumque principalium alcalinis vel acidis particulis, archæalibus motibus & effervescentiis, nunquam in rei veritate ad apodicticum eliciendum assensum, demonstrabilibus.

Positivum motuum febrilium subjectum sanguinem esse arteriosum quidem, sed plus venosum, anastomoses fibrarum, & quintam essentiam sanguinis, seu nerveum laticem, vero omni cum verius sit: uti pondus atmosphæræ gelidæ, tremorem, concussionem extremorum, rigorem & pallorem inducit: ita materia peregrina ex quocunque corporis partium latibulo excussa, dum cordis thalamos intrat, premitque pondere & impetu vasa, & premitur a fibris cordis; æquæ horripilationes, horrorem, spasmodicas fibrarum contractiones, denique frigus febrile excitat.

Aucta quippè quantitate sanguinis & vehementiore ventriculi cordis ad propulsionem sanguinis nisu, progressivus sanguinis motus augetur quidem, sed intestinus, qui æquabilem caloris & frigoris sensum sustinet, quasi abripitur & inæqualiter in fibras musculorum impingens, sensum motus impediti vel inordinati per frigus vel horripilationes, exerit.

Cessante autem validiore cordis nisu & consequenter celeriore sanguinis propulsione, redit motus intestinus, undè exquisitus caloris sensus in fibris & glandulis in su-

perficie corporis , humores sub specie non insensibilis transpirationis , verùm sudoris aquei , qui nunquàm nisi violenter in corpore accidit , effusio.

Hujus nifus vel contractionis cordis velocioris & vehementioris causa proxima, in ipso corporis continenti dùm stabulatur , si brevibus paroxysmis consumpta , terminetur , febres sæpè salutares evadunt. Sed ubi dramata anomala , irregularia & mali moris luduntur , sæpiusque quasi ex angulo affiliunt , indicium est in corpore latere vel pus vel acredinem aliquam malæ indolis, subigique nesciam, quæ, sine certa regula , nec apparente aliqua causa , se massæ sanguineæ, spiculorum instar, motum æquabilem sanguinis & humorum invertentium , tardantium , vel in minoribus vasis aut motui non è diametro obnoxiiis cavitatibus, prorsus eludentium , subinde miscens, multiformes generat cordis motus, totum denique systema humidorum & solidorum hinc indè vario transitu premendo , in pressa vel elisa impetum faciendo , stagnantia in putrilagineæ similem consistentiam vertendo , subigit , fibras rumpit , extrema nutrimento privat & ad totalem gangrænam disponit.

Accedit his, ætheris atmosphærici æquali numero & pondere in corpus nostrum influentis per poros foras intro spectantes , cum corporis nostri insensibili perspirabilitate effluenti materiâ, æquilibrium. Omnia enim in circumlum agi cum necesse sit , una excentricitas unius radii , vel tangentis defectus, quot non motus causat obstacula ? Certe langvores , gravitas corporis febricitantium huic præpondio debentur , & multa alia.

Si scirem veritatem testibus egere , adjungerem mihi cohortem virorum in re Medica expertissimorum ; vel saltem in meam sententiam euntium manipulum ; vel his  
desti-

destitutus, principes solum Viros omni exceptione majores, ferrem in suppetias. Sed cum lis mihi nulla intercedit, nec manus committenda cum ullo, saltem quæ ego fors non satis expedite dicerem, ipsissimis solidissimi Bœrhavii, qui ab orbe Medico, perennem sibi meruit existimationem, verbis, fidem faciam & salivam movebo. Sic ille :

Simplicissimæ partis labes simplicissima, suæ actionis defectu morbum creat proprium. Hic autem ipso nexus vinculo vicina inficit simili contagio, sed eo solo actiones impedit earum, quas obsedit partium, quod impedimentum quum morbus novus audiat, ex una ægritudine effectus orti plurimi varia se specie, ut distincti, offerunt.

Si liquor v. c. fluit ex amplitudine canalisi in ejus angustias, quodlibet fistulæ internæ punctum, excipit vim ejus portionis fluidæ, quæ recta ab origine motus via, in id ruit.

Quando igitur acutum corpusculum in aliquo cavo hujus incilis puncto, ita se fixit, ut ejus apex firmus ibi hæreat, tum illa pars, quæ supra glabritiem cavam eminet, sustinebit impetum omnis fluenti, cujus directum iter objectu sui corporis, intercipit.

Ergo agetur eo majori momento, quo assurgens ejus moles, grandior est eo puncto, in quod recta propulsi fluidi pars æqualis impingere solebat. Omnis autem hæc vis arietat in illud punctum ejus ductus, cui infixæ hæret, acris illa particula. Unde vas ibi divelli solvique, iterque vitali ibidem humori intercipi, debet. Simul ac verò id mali accidit, liquidior pars intercepti liquoris, per factam rimam effluet, dum crassior, stagnat coit & compingitur. Sed fluxus hic impeditus per alia vasa libera, impetum accelerat, auctoque attritu, febris fit & æstus

& æstus longè major : Quo ipso , stagnans calefcit & ex blanda indole in acre fugax vertitur , hincque duplicato malo , destruit tenerrima , quibus conflamur stamina. Quodsi accidit parti , cujus integritas est vitæ necessaria , nonne lethale damnum est ? Atqui in hoc transitu ab sanitate in mortem , labefactari necesse est , medias omnes actiones , quæ à vitæ salubritate pendebant. Quæ dum sunt quam plurimæ , morbus unâ eâque simplicissimâ causâ in corpore sanissimo natus , mille diversis speciebus gravis fit.

Vera theoria morbi & prærecensitorum symptomatum aitiologia quæ ex prædictis elicienda sit , haud obscure , attendenti patefcet.

Quibus , cum accesserit cadaveris apertio : latentes morborum causæ ponuntur quidem in lucem , sed & ex combinatis symptomatibus clariùs eliciendum venit quâ stirpe , plures esse creatos , & cur frustra vulfos esse ramos , manemque luisse medicum operam , & spem fovisse reconvalescentiæ ægrotum.

Aggregati Morborum ægri nostri , Febriumque tam versatiliùm , tamque gravium in , cum & post febres , symptomatum syndromes , causam , originem , & fomitentem fuisse fluidorum , biliosam , viscosam , fibris destitutam acrimoniam ad gelatinositatem & sphacelescentiam pronam , morbi decursus & phænomena cadaveris ostendunt , prædictaque si applicentur , modum ad amussim , explicant.

Bilis liquor resinoso sulphureus , quo nullus acrior in corpore , uti ingentis est utilitatis in sanis , in quibus abstergendo fibras motrices irritando , coagulata resolvendo transitum chyli per vasa promovendo , ingesta reparandis assimilando , edit effectus salutare , dum est in statu suæ consistentiæ & activitatis : ita ubi declinat , vel nullos

vel contrarios edere effectus toti œconomix animalis perniciosos, quotidiana docent experimenta, & vel sola stagnatione in duodeno, morborum ex primis viis oriendorum, cum primis febrium omnium biliosarum causa & materia existit, prolifica. Sic, dum ingesta ventriculi nec satis subacta, nec vehiculo hoc quasi fermentante resoluta & in motu promota sunt, quid certius consequitur quam humorum gelatinositas & ubi in hac vel illa parte hærent, ad putredinem ac sphacelositatem, unde tam solidorum quam fluidorum morbi insuperabiles, proclivitas.

Ex proximioribus hac causa repetenda erit paucitas & fixitas bilis, lapis coagulatus, polypus cordis, inflammatio & abscessus intestini coli, pectoris hydrops, ejusdemque abscessus, foda frequens, & urina biliosa, crassa ac pingvis. Quæ, simul sumpta, febres anomalas chronicas generasse: vicissim febres, vitia bilis, humorum, totiusque sanguinis ut & solidorum ruinas, fomentasse & auxisse, quis ibi inficias?

Sed cur accessiones febrium tam anomalæ, tam improvix & temporis mensurâ irregulares fuerint, id, ceu horologii indicationes horarum, certis rotularum, catenularum longitudine & periodo determinatis oscillationibus: certo motui humorum, certa temporis mensura decurrenti, ascribendum est. Motus autem initium, partim novæ alimentorum moventium occasione, partim materiæ, acrimoniam hinc inde contrahentis cum sanguine per circulationem mixtionis, & dum ad cordis thalamos delata est, cordis nisui, quem, oppleta polypis membranosis & tendinosi ventriculorum cavitas, crassæ & majori copia irruentis similis massæ acerrimi & glutinosi sanguinis minus capax, ut depleatur, musculorum contractorum proportionatos conatus urgebat, debetur.

Sed

Sed cum non solum cor, vitæ fons & principium sit, nec functiones vitales & salutares, in ventriculis cordis ad perfectionem perducantur; verùm etiam pulmones, cujus fabrica ex sacculis, lobulis, & lobo, ex cono ramoso asperæ arteriæ, infinita ramulorum diversitate ortis ramulis, arteriæ pulmonalis, reti arterioso investitis, nec non venæ pulmonalis æqualibus numero ramis, cum arteria pulmonali ad vesiculas pariter reticulatim distributis, constat, pulmones tantæ esse necessitatis apparet, ut meritò omnis vis ad vitam nulli potius quàm huic visceri, tribuenda videatur.

Omnis quippè chylosus liquor primo pulmones intrat, post ibi divisus ad reliqua viscera transit, ibi præparatur, ut nutritioni, sangvificationi, secretionibus in vasa capillaria aptus ac idoneus sit.

Ubi autem contigerit per validas pulsiones, acerrimi chylosi cruoris, ramulos, anastomoses, membranulas reticulares rumpi; loco ordinariorum motuum, fiunt extravasationes, extravasatorum ceù non ampliùs motorum, stagnationes, putrescentiæ, solidorum contiguorum inflammatio, post laxitas, sphacelositas, & gangræna, unde nova & lethalis febris causa.

Et cum sangvis in statu sano è globulis rubris, sero tenui continuata radiatione innatantibus constet, ubi globuli majores fiunt, à se mutuò secedunt, sero crasso, gelatinoso, oleoso acri, spatium majus relinquunt; hinc subtilior levior & mobilior ejus pars, per carotidas & cervicales arterias sursum quidem viâ scilicet à corde & pulmonibus & brevissima & rectissima pellitur: crassior autem & minùs mobilis, ad inferiora gravitate sua agetur, unde in inferioribus, cæteris paribus major motus tarditas, influxus in solida minor & hærentis vel extravasati,

glandulis ruptis vel obstructis aut infarctis , longior quies , ex quiete rursus peregrina indoles.

Intestina chylum crassum oleoginoso tenacem è stomacho excipientia , activitate bilis destituta , in tunicis villosis facile mucositatem contrahunt , ea contracta , permeabilitas in vasa lactea , quorum in illis villis est principium , impeditur , mucus hærens cum tempore acrescit & tam atrophix , quàm segnis alvinæ dejectionis causa fit : quin si indigesta & putrescens hæc massa ad ampliora sed cavitatibus & cellulis ac anfractibus referta magis intestina , prouti est colon , detrudatur , ibi & diutius hærebit & mora in rugis pertinacius tracta putrescet. Hanc moram augebunt alimenta , cruditates biliosas nidorosas & tenaces causare apta in prioribus viis malè digesta : ab imâ autem parte , turgentibus à stagnante sanguine venis sedalibus intestini recti , retardata.

Sic non semel experiri licuit in debilibus ventriculis nimium chocolatæ usum , non tantum cruditatibus nidorosis ansam dedisse , sed & in intestino colo diù hæsisse ac tota sui substantia post tres septimanas egestam esse. Si potui crassiori Caffè , forbillato majori copia , licuit Medicis Gallis apoplecticos affectus adscribere ; cur non butyraceis , oleosis , pingvibus , saponariis , farinaceis accedente acidorum usu , vel etiam (cùm id non omnes , nec assveti semper ferant) frigidæ aquæ haustrui. potui chocolatæ præmitti solito , similes intestinorum infarctus & gangrænosas putrescentias sine injuria imputare ?

Renes cum sint emunctoria laticis aquei falsi , & ex infinitis capillaribus vasculis arteriarum renalium , consistant quid miri si intactis aliàs & renibus & ureteribus ac ipsa vesica , urina purulenta excernatur ?



Similia enim similibus, non aliter ac per cribra simile frumenti genus, transit, associantur: sic è sangvine purulento, similem materiam percolari & egeri necesse est.

Materia hæc salibus mixta in vesicam delapsa, meatum urinarium obstruit tantò facilius, quo ab aliis prostaticorum morbis sphincter multa passus, scirrhosus evasit; vellicando tamen, conatus ad frequentem missionem urinæ, in excernendo dolor, oritur, & obducto vel arctato meatu pauca ut reddatur urina, efficit; eaque à salibus biliosis fætens, penetrans & acris, cum sedimentis quæ per patula renum cribra partim tota transeunt, partim in vesica diluuntur.

Instante febre vel in ipso paroxysmo frequentius urina reddita est, ob incipientem cordis nisum, prementemque vasa & vasorum contenta usque in peripheriam corporis h. e. extrema vasorum.

Polyporum cordis apud veteres nulla vel rarissima mentio, quia rara corporis post mortem inspectio, & è symptomatibus in viventibus, incerta & eventualis indicatio. Apertis autem cadaveribus, uti frequentes inveniuntur: ita per hoc intricatissimis morbis chronicis, lux affunditur, quorum causæ & sedes in tenebris ignorantie mansissent sepulte in æternum.

Glutinosa, terreâ & limosa parte polypis generandis sangvinem originem præbere, agnoscit illustris Hoffmannus Halensis, quâ in cavernosas cordis fibras impactus, valido systoles & diastoles nisu, excuti aded non potest, ut non intra cancellos cordis aliquid hæreere, à supervenienti adglutinari & cum tempore motu compressionis, soliditatem acquirere ac in magnam molem assimilatis aucta, excrescere queat. Segnior inquit sanguinis progressus & inde facta major ejus crassities (adde glutinositas, acris acidis spicu-

his junctis) non modo in parvis vasis ea obstruendo, morborum dat fovetque causas, sed & in ipsa quoque cordis cavitate, ejusque vasis majoribus, mirabiles quasdam conglutationes, ex meris ferè membranis ac fibris coalitas, (prouti tot diversi generis & figuræ in corpore solidorum, materia, nutritio & augmentum, suis quoque locis separatio, in & à massa sanguinis pendent) duras indissolubiles sæpè ingentis molis, quæ vulgò *polypi* nominari solent, ingenerant, & perniciales longarum & insanabilium ægritudinum causa & comites exitunt.

In iis inquit idem, qui subita morte extinguuntur (prout in illustri viro, C. ab A. Aulæ nostræ percuro, repentina morte nuper extincto, grandiore, polypum inventum esse, refertur) aut apoplexiâ, suffocativo catharro, pectoris hydrope, palpitatione cordis, vitam finiunt, (à quibus nec noster æger immunis fuit) quandoque etiam qui ex hæmoptisi, pleuritide, asthma hydroptico (uti proximè defunctus S. bellicus Commissarius à R. in hoc morbo, non sine polypo fuit:) insignis magnitudinis polypi, cor vel vasa pulmonalia occupantes reperiuntur.

Certè pro immediata causa, convulsionis syncopicae ter ægrotum aggressæ, tremoris dextræ cum prius manûs, & validæ cordis in extremis, palpitationis, sui generis undulantis altique semper pulsus mensuræ, grandes hos ægroti polypos agnoscendos, ut cætera, his merito adscribenda mala, præteream, vix rerum gnarus, ac artis peritus negabit.

Unicum Symptoma Polypis utriusque ventriculi adscribendum, filere nequeo; Venarum videlicet & substrati nervosi generis, alternatim in manibus turgescentiam, quæ evidentissimè refluû sanguinis cursûs obstaculo, à polyporum contiguitate, caudis modò ad dextram, modo ad sinistram  
axil.

axillarem ramum à sanguine affluo inclinatis, ipse quoque cordis inæqualem contractionem causatis, immediate debetur; plura qui de polyporum cordis phænomenis scire volet, ex Malpigio, Albino aliisque petat.

In cavitatibus congesti humores, quotidiano chyli impulsu uti in se rancescunt, acredinem majorem ex fæore fat probabilem, acquirunt; ita, & solida putredine tangunt, sphacelosa cariota ac gangrænosa reddunt. Id ex vomica pulmonis, pleuræ & costarum gangrænosa carie, ex intestini coli nigredine, quæ, certa mors sequi debuit, apparet. Ubi secedunt humores à se mutuo, motus nec progressivus sanguinis, multo minùs qui est intra se, sibi constant, solidorum fibræ ruptæ, stamina lacera, & collapsa sunt, quid boni præfigere licet?

Qui scorbuto, qui veneris supplicio obnoxii sunt, illi viva circumferunt cadavera, & fluida ad acredinem putrifluam, & solida ad sphacelosam contabescentiam disposita habent; difficulter etiam vel ex levissimis aliis morbis curantur.

Imo ipsa nimia sensibilitas, morositas & iracundia, uti auctrices morborum corporis: Ità accelerati finis bajulæ sunt.

Motus animi, tantarum quippè sunt virium, ut etiam venenorum vehementiam ac celeritatem in operando longè superent.

Ex iracundia cor palpitare, arterias validè pulsare & humores subito ad caput ferri quis non expertus est? Et præclarissimè observante illustri Hoffmanno, ira ejus indolis est; ut vehementiore partium nervosarum contractione totum systema nervosum celerrimè commoveat, & systolen cordis, eique annexorum vasorum cum arteriosorum tum venosorum & tonum etiam partium fibrosarum universo in

corpo-

corpore mirificè adaugeat ; ut inde à veteribus parva febris & momentanea epilepsia dicta fuerit ; Quà agit partium stricturâ vim suam imprimis in ventriculum & intestina, ceterâ partes valdè nervosas, & membranaceas exquisitioris sensus & motus, exerit, & facillè inflammationem ibidem periculosam, imò lethalem efficit.

Peculiarem verò vim ira exercet in ductus biliferos, & hepatis, adeò ut eorum stricturâ fortiori, facile hepar scirrhosum fiat ; imò calculi in cystide ac ductibus biliaris generentur, quia liber motus & effluxus bilis, hac ratione impeditur, vel effusa stagnat, & sæpè febres putridas continuas & intermittentes suscitât.

Multi, inquit insignis Romanus Medicus Baglivius, ob repletiones in morbos incidunt, sed multò plures ob animi pathemata. Et qui lautiori fortuna utuntur, animi potius quàm corporis motibus afficiuntur, eorundemque corporis morbi, animi morbis auscultant. Hi, medicamentorum vires infringunt & corrumpuntur potius in stomacho, quàm desideratum levamen ægrotantibus afferant. Et quando morbus remediis debite præscriptis non cedit, insolitisque quibusdam modis, atquè à sua natura valdè remotis progreditur, suspicandum erit, de occultis animi passionibus ;

Sed systemata condere nunc non licet, nec curam morborum mentis tradere ; sufficiat illud Senecæ notasse : Adhibe rationem difficultatibus ; possunt & dura molliri, & angusta laxari, & prævia scitè ferentes, minus premere. Et alterum Baglivii : Morbi ab animi pathemate pendentes blandè & leniter tractandi, à nimia remediorum copia & vehementia quàm maxime abstinendum. Auctis verò corporis morbis, utrosque tollere, herculeum est, plerumque impossibile.

Certè tædium curæ hypochondriacarum sic dictarum, affectionum, quæ potissimum literatorum & curis publicis deditorum esse solent, distractis occupatis & alio intentis aut intentione consumptis spiritibus debetur. Optimè in Medicina mentis monuit, Thirenhusius : cum in eò sumus statu, ut continuas quasi debilitates aut dolores sentiamus, omnia negotia planè intermittenda esse.

Ubi partes alimentosi sanguinis partibus solidis non assimilantur, nec apponuntur, partes solidæ flaccescunt, corpus emaciatur; maximè cum transpiratio insensibilis, quæ omnium excretorum aggregato major est, & ad vitam ac sanitatem necessaria, sufflaminatur<sup>1</sup>, & glandularum cutanearum pori rupti, non secùs in forma sudorum, liquidum nerveum effundunt, ac in cavitatibus cachecticorum & hydropicorum fit, vires debilitantur, & motus vitales lassantur. Hinc in tabidis, atrophicis, syncopiticis, sudor quò major, quia violentus, eò pejor; in morbis ad mortem declinantibus tono partium flaccescente, instantis vel secururæ certæ mortis prænunciis, existit.

Sudabat nuper in pede sinistro, ingvine & scroto ingenti mole hydropica distento, præfatus sup. belli Commissarius à R. aliquot ante obitum diebus, sed nullo levamine. Et quo plùs sudabat, venturæ gangrænæ plura signa dabat. Sudor erat falsus & glutinis instar viscidus. Lympha quam exsudabat aperto post obitum corpore, nulla amplius inventa, sed tota moles scroti in unum continuum tophum œdematosum abiisse, deprehensa. Imò certæ curiositatis causa, è cavitate abdominis haustæ lymphidæ alias, sed saturatè flavo-viridiscientis coloris aquæ, binæ mensuræ, dum destillarentur in massam tophaceo-spongiosam concreverunt fracto striatim vitro.

Hoste valido cinctus, præsens periculum retundere,

avertere novos impetus , præmunire aduersus futuros & ne obruatur, tempus ac vires lucrari fatagit suæ vitæ consultor. Morbi, interni nostri hostes sunt, quos aggredi vel expellere, æquè laboriosum ac benè vallatos ac offensivis mediis instructos.

Tot casibus edocta, nondum medicina hunc perfectionis gradum adeptæ est, ut singulis & singularum partium morbis, appropriata multò minùs specifica opponere, sciat remedia. Id tamen scientificè molitur, ut dùm ramum ac propaginem amputat, radicem quæ uno ictu non cadit, tangere queat.

Radice & causa morbi non satis perspecta, à symptomatibus quæ plus urgent, plùs periculi & molestiæ dant, quid agendum, per quæ & quali forma, petenda indicatio est.

Idcirco nîl tutiùs nec utiliùs esse visum est, quàm irregularem & insidiosam febrem jam 15. diebus durantem certis horis, pulvere Anglico rubro, cum Regulo antimoni medicinali, nitro perlato proportionatè mixto, aquâ florum Sambuci & Naphæ propinatis aggredi.

Post, liquidis urgere vappescencia fluida, ex Tinctura scoriarum Reguli antimoniati succinati, Balsamo vitali meo, Schacarillæ Essentiâ & liquore nitri fixi confatis.

Cùm autem alvus pertimaciter adstricta, tutè movente interno vel externo promovente, ægro resistente, levare non posset; ubi jam remissiones febris longioris temporis fuere, prioribus substituta Tinctura Aloëtica mea extracto helleborino, & nitrato liquore remixta, subsecuto optato eventu.

Mixturæ subindè pro rei exigentia & arbitrio medentis adhibitæ, ex pulveribus bezoarticis, antimonio martiali, confe-

fectione Regia vel alchermes, spiritu salis ammoniaci vivificatis, in aquis compositis cordialibus dictis & Citratis.

Nervoso generi capitis prospectum est, spiritibus urinosus volatilibus sigillatim vel mixtim frequenter naribus temporibus, auribus, adhibitis.

Intermittente prima febre, Essentia Absynthii composita & Schacarillæ ad ventriculi tonum & bilis inertiam restituendam, subinde propinata.

In febre recidivante Essentia Alexipharmaca mea, cum spiritu bezoartico frequenter in usum tracta.

Ad dolorem stomachi & intestini colicum æmulantem præter sacculos herbaceos siccos, Emplastra de baccis lauri, Cumino, meliloto, spermate ceti, oleis absynth. menth anisi, cumphoræ, tartari per deliquium & balsamo peruviano malaxata, calide apposita.

Ad eluendum os scorbuticum, gingivasque flaccidas, & dentium radices firmandas, Tincturæ officinales g. Laccæ, catechu, hæmatitis cum aqua cochleariæ & florum a ciciarum utiliter adhibitæ.

In calore, sudore & langvore febrili, margar. oculi cancri corallia alba sale absynthii fumaricæ & nitro perlato acuata in aquis appropriatis simplicibus liliorum convallium, Naphæ, & Citratis cum C. C. ut & syrupo acetositis Citri, non nunquam rubi idæi propinata ac circumstantiis id indicantibus cinnabarina, succinata, sæpè adhibita.

Externè spinæ dorsi, ventriculo & intestinis, Tinctura stomachalis nova, Essentia Absynth. composita cum spiritu lumbricorum & theriacali camphorato, tinctura castoreo-anodyna, illita.

In omnibus, quæ in medicatione ægroti adhibenda fuerunt remediis, serio cautum esse debuit, ne sangvinem nimium commoverent; dosesque propinatorum refringi tempori-



que aded commensurari, ut lentè vires etiam repetitæ exerent.

Laxantium internè propinatorum operatio, non nunquam licet summæ necessitatis, aded tamen infesta fuit ægro, ut vel levissima imò innocua fennæ folia turbas excitarent ingratiſſimas.

Idcirco omnia quæ danda fuerunt remedia, ubi alvus tarditate peccavit acuere solummodo subducente oportuit.

Subiit summopere admirari indolem istorum hominum, qui omnia prorsus corpus laxando & subducendo elutriantia, e foro medico exesse volunt; cum id non tantum functionum vitalium agilitas, post exturbatas stagnantes fæces commendet; sed & necessitas rationabiliter subinde requirat. Non quod in laxantibus & primas vias promiscuè everrentibus, tantum sit vitæ & præſervationis a morbis præſidium; uti Majalis curæ, invitis etiam sanis propudiosa mercatura pocillatores perhibent. Sed cum id deficit, quod externorum alvum moventium vices ordinarie supplet, utrumque corrigere & utrinque succurrere, rationi & ipsi experientiæ consentaneum est. In febribus, autem quando & qua directione, quibus vehiculis & modis propinanda sunt, dijudicare, non barbiraforum est, quibus una semper oberrare chorda, solenne. Distingvendæ etiam ætates, & illis dum morbo alicui obnoxia sunt, nec ab aliis causis nonnaturalibus dictis aut alimentis sublevantur, cum appropriatis tenerrima moderatione, naturalique movente affimilatis mixta, propinanda.

Cætera toto morbi cursu, ita indicationibus, viribus ac operandi modis combinata concentrataque fuerunt; Ut necesse haud fuerit, singulis momentis novas effingere medicandi rationes, vel cudere formularum phalanges, sed solummodo ad tempora morbi, quibus, virium statum, qualis,

lis , & dosin quæ circumstantiis commensurabilis , præcisè attendere & his vel illis nonnunquam palato accomodatis vehiculari : vel ubi unum symptoma præ cæteris acrius urfit , illi oppositum pro basi cæterorum commixtorum sumendo , viam directam præfisse sàt fuerit.

Ubi febres in quartanam adoleverunt , ibi variatæ sunt remediorum formulæ , idque evitatum , ne nausea ægroti , viribus assumptorum obesset ; ideo ad sanguinis correctionem directis , antipyretica nunc in Tincturis , nunc in pulveribus , nunc in oleis destillatis , nunc in extractis succenturiata sunt : eo tamen regimine , ut simul in explorato fuerit , quid & quantum , in hac vel illa forma operari oblatum potuerit ; neque indiscriminatim unum alteri tumultuariè superingestum est . In hoc e. medicandi artem consistere , qui accuratius sentire volunt , ultro fatebuntur .

Sic ad sitim sedandam & æstum febrilem domandum nitrata , in decoctis aperitivis , antiscorbuticis , in aquis destillatis , in pulveribus absorbentibus , Mixturis , in ipsis Tincturis & Essentiis semper admixta .

Ad tonum Nervorum & influxum laticis spirituumque harmonicas determinaciones , Tincturas antimonii solaris , spiritum bezoarticum , Essentias Ambratas , Bals. vitalem meam , quæ blanda sua & amica exhalatione nervorum influxus patulos tenerent , cum liqore Nitri fixi propinare solemne fuit .

Vix unquam unum symptoma impetitur , quin tangerentur cætera .

Soda , pulveribus terreis quidem sed cum martialibus cinnabarinis , salinis vegetabilium & oleo aliquo aromatico respersis , aggressa .

Ad vires lassatâs occupatione ac intensione nimia spirituum , aquæ appropriatæ , cum cardiacis secundi generis

fic dictis, diutiùs in sanguine hærendo, vires constantiores exerentibus, antimonialibus nitratis, confectionibus & spiritu urinoso oleaginoso propinata.

Margaritas effætas esse, & licet sint pretiosæ, cretâ vel terra aliqua nil plus, nec nisi virtute absorbente operari persuasus ab aliis, hæc enûs credideram; sed cum infortunio Nobilis Dominæ, cujus pretiosa supellex nocturno incendio conflagrasset, margaritarum pro mundo muliebri cirros eodem ordine, quò jacuerant, in massam duram coivisse, nec præter auri & lapidum pretiosorum confortium quidpiam quod concretioni in duritiem ansam vel vinculum præberet adfuisse explorarem; suspicio mihi oborta, an non tenax aliquis succus in iis esset: qui in similibus concretis frustra quærat? idcirco pro scopo præfenti in desperato ægri casu, majori quàm vulgò, solet dosi, uti, & frequenter repetere non dubitavi; nec spem fellit exitus, adeò, ut omninò loco cujuscunque alterius alcalini sive terrei sive marini testacei, margaritis salutariter, nisi pretium terreat, uti posse, jam edoctus, credam.

Tincturæ Auri sicubi, hic opinioni minimè responderunt; Pejus se habuisse ægrum & nescio quas rosiones sensisse ab usu aliorum non perpeffas, toties ac promiscua opinione, in desperato casu ubi omnia effæta viribus apparent, aurata panacæa, uti voluit. Et, si in casibus morbi gravitati & tempori commensuratis, tantis elogiis in sublime elatæ panacææ ægrum, non tantùm destituant, sed & pejora expectatione causentur; non est cur Arcanistis, fides tanta habeatur; vel creduli Magnates cistulis suis, inclusis hisce auratis, vim tam magnificam, pro ultimo refugio attribuant.

In facili lapsu, facilis erectio; semi sanos restituere, non est herculeum.

Corti-

Cortici peruviano in substantia, ut solet magna cōpia adhibendo, obstitit conditio ægri, consideratio internī abscessus ac obstructionum partium, sanguinisque glutinosa phasis; huic substitutum aliud vegetabile, nec non domesticum in extracto, cum arcano duplicato, propter opinionem (utinam in effectu vel saltē simplici!) potissimum tamen Tinctura quatuor corticum, Aloëtica & Panchymagoga S. K. antimoniali maritata, sæpè etiam balsamica Hertodi continuata.

Ubi horror & frigus febrile vehemens, oleis destillatis ceu alis adjuta; ubi verò frigus tenuè, calor autem intensior præcedentibus pulveribus roborata, usui fuere. Cum primis pulvis vegetabili mineralis, sale fixo, oleo destillato & extracto nobili acuatus.

Externa dum adhibenda sunt, ut talia adhibeantur, quæ poros glandularum cutanearum, non obstruant, oblinent, sed intortis iis, penetrent, & cum sanguine ac humoribus refluīs communicentur; vel ubi in externa aliqua parte topica obstructio, humorum stagnatio vel fibrarum tensio aut infarctus deprehenditur, resolvendo, spasmodicas tensiones laxando, glutinosa, gelatinosa in fluorem perducere queant, verbo quæ internè eodem scopo adhiberi debuerunt, ratio docet, experimenta probarunt.

Infusa herbæ Thæ sincerioris, & salviæ de Lepanto subinde sorbillata, non solum diluendo & invigorando, urinam ciendo, sed etiam Mixturarum, faciliorem ad sanguinem propulsum accelerando, vires exeruerunt notabiles.

Cum autem sæpè & consuetudini litari oportuit, præter externa suis partibus dicata, frictiones calidæ, Embrocati-

cationes manuum ex aromatico resolventibus, & pro scopo refrigerante, non frigida, sed temperantia & resolventia apposita.

Ex lignosis, resinosis, salinis, vegetabilibus, eluendi, de obstruendi vi & efficacia præditis, parata decocta in chronicis tam necessaria quam utilia esse, vel hoc unicum experimentum probat, quod parva licet dosi ægro renitente propinata Decocti portio, loco moverit abscessum intestini Coli. Qui; domatis licet vel nil contribuentibus cæteris morbofis circumstantiis, solus, tanta putrilagine diutius moram neccente gangrænam attraxisset, gravissimè ægrotum afflixisset & vitæ finem accelerasset. Quod enim similis materia putrida in fine morbi excreta est, id abrafis itestini glandulis & motûs peristaltici defectui, ob quæ, quicquid ibi collectum, in putredinem abiit, tribuendum.

Nec scopo frustrabitur prudens consultor, qui, Decocta non quidè m ingrati faporis, morbis obstinatis infarctu primarum viarum gravidis, profusè objecerit.

Neque fidas satis esse è longinquo morborum medicaciones, quæ tam procùl plerumque absunt ad indicato morbi, quam præscribens à patiente. Morbi habent sua tempora, habent gradus, quibus non omnis quadrat succursus. Hic conducit maximè ut præscribens: tempora, tempore, temperet. Et remedia non ex Cathedra, sed ad lectum dicet.

Cæterùm, laboriosissimam sollicitudinem novem mensium pluribus ultra persequi, locus & tempus prohibent.

F I N I S.

# INSCRIPTIO

*Mausolæi in Æde Sacra Canobii RR. PP.  
ora. Minor. S. Francisci Ref. Cibinii, ad Cornu  
Altaris dextrum, Novissimis Honoribus  
VIRMONDTIANIS,  
dicati.*

D. M.

Hic conduntur mortales exuvix,  
Virtutes loquetur Fama superstes!

DAMIANI HUGONIS  
S. R. I. Comitis A VIRMONDT  
AUGUSTO CÆSARI  
CAROLO SEXTO

à Sanctioribus & Aulæ Bellicis Consiliis,  
Peditatus Supremi Præfecti,  
Unius Legionis Pedestris Tribuni  
Principatus Transilvaniæ & Valachiæ  
Austriaco-Cis Alutanæ  
Generalis Armorum Præfecti,  
hujus etiam Directoris supremi.

Qui

Atavis editus magnificis ,  
Animi & corporis dotibus clarus ,  
Literarum cum Armis nexu clarior ,  
Armata Pallade

Principis suæ gentis NEOBURGO-PALATINI  
Amorem,

CÆSARIS AUGUSTI

Laudem

Rebus, bello, paceque præclarè gestis  
in utraque Germania, Italia, Pedemontio  
Hungaria & Transilvania  
meruit.

Ad principes Imperii, Confœderatos Reges  
Danicæ & Borussicæ, Poloniarum Regem  
& Rempublicam, ad pangendam Pacem,  
quæ, devictis, fugatisque bis, brevi bello,

EUGENIO DVCE

Turcis; deditis Temesvaro & Alba-Græca  
Poffarovicii Servicæ, magna Terrarum accessione  
conventa est, suprema potestate, Legatus, &  
magnus ad Ottomanorum Imperatorem Orator,  
Jam meritis gravis,  
Dum utrique Daciæ præest,  
*Tantum est laudari a Cæsare!*

Vir,



Vir, Confiliorum vi, prudentia, vigilantia  
& laboris affiduitate inclytus,  
Miles, Minister & Oeconomus  
Maritus & Pater optimus.

Longo morbo, Corpore, non Animo, fractus,  
diem obit supremum, Cibinii Transilvaniae  
die XXI. M. Aprilis  
A. M DCC XXII. Æt. LVI.

Hoc Pietatis Monumentum

*mœsta posuere*

ELISABETHA Baronissa

Bourschidia Vidua &

Filia MARIA ANNA

VIRMONDTIÆ


Marito & Patri carissimo.

*Curante*

SAMUELE KOLESERIO a KERES EER

Cæs. Regim. Pr. Transilv. a Secretis.





11/18